

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4368

Auteur(s) : Colette Quillet, de Blainville [particulier]

Bénéficiaire(s) : La Lucerne-d'Outremer, Sainte-Trinité de La Lucerne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1297, 17 février

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Colette dit Quillet, de Blainville, vend à l'abbé et aux chanoines du monastère Sainte-Trinité de La Lucerne pour 25 sous tournois la rente annuelle sur deux pièces de terre sise à Blainville.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Luzerne, n° CLIII, p. 141-142.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus presentibus et futuris quod ego Coleta dicta Quillet, de Blainvilla, vendidi et concessi ac omnino in perpetuum assignavi viris religiosis abbati et conventui monasterii Sancte Trinitatis de Lucerna et eorum monasterio, unum bussellum frumenti ad mensuram Constanciensem annui redditus habendum, levandum et percipiendum de cetero ad festum Sancti Michaelis in monte Guargano super duabus peciis terre in parrochia de Blainvilla sitis, quarum, una que continet dimidiam acram terre vel eocirca, jungitur ad terram Ricardi Quillet, ex uno latere, et, ex alio, ad terram Ricardi Lepedevin et butat, ex uno capite, ad cheminum per quod itur de Guonnovilla versus monasterium de Blainvilla. Alia pecia terre sita est super regio quod vocatur Le Quesne inter terram Johannis Juas et terram Guillermi Hervei, a lateribus, ab eisdem religiosis et eorum successoribus qui pro tempore fuerint per manum meam seu cujuscunque tenentis pecias terre supradictas libere, pacifice et quiete, sine contradictione, impedimento seu reclamatione mei vel heredum meorum, pro quo bussello frumenti habendo, levando et percipiendo licebit predictis religiosis et eorum successoribus ad terminos predicti festi de cetero quolibet anno super predictis peciis terre et unaquaque earum in solidum suam justiciam plenariam exercere. Et tenemur ego predicta Coleta et heredes mei quos ad hoc obligo ac de cetero tenebimur predictis religiosis et eorum successoribus predictum bussellum frumenti garantizare et defendere ac bona fide versus omnes ipsos indempnes penitus super hoc servare, vel alibi, dum necesse fuerit, excambiare competenter. Et est sciendum quod ego Coleta predicta de cetero non potero predictas terras vendere, distrahere seu extra manum meam ponere quin ad solvendum et reddendum predictum bussellum frumenti una cum alio reddito exinde antea debito predictis religiosis teneantur. Pro hac autem venditione taliter a me facta predicti religiosi michi dederunt viginti quinque solidos Turonensium super quibus me teneo penitus pro pagata. Et juravi super sacro sancto ewangelio me omnia premissa et singula fideliter observare et quod contra non veniam per me vel per alium ullo modo. In cujus rei memoriam et munimen presentem cartam sigilli mei munimine roboravi. Actum anno Domini M° CC° nonagesimo sexto, die dominica post festum Sancti Valentini.